

te offeras, quod in toto corde et anima tuum diligas creatorem et pro tue salutis augmento erga proximum perfecta ferveas caritate. (2) Sane ad nostri apostolatus auditum relatio fidedigna perduxit, quod licet divina miseratione propicia inter te et carissimum in Christo filium nostrum Henricum regem Romanorum^a illustrem certi dies et locus, videlicet in octabis assumptionis^b beate Virginis proximo preteritis¹ ad mutuam visionem habendam constituti concorditer extitissent et que inter te et ipsum imminebant agenda, ex quibus inter utrunque vestrum debere flammas uberioris caritatis accendi, dilectionis amplioris fervorem celestis gracia inspirationis augeri ac utriusque regnorum et terrarum tociusque christianitatis statum pacificum et tranquillum, augmentum catholice fidei et pium necessitatibus Terre Sancte subsidium provenire verisimiliter sperabantur, iam essent plene concordie robore stabilita, demum tamen, sicut accepimus, noviter tu et rex prefatus a visione huiusmodi destitistis. De quo non minoris acerbitate doloris torquemur in animo, quam illud exultationis augmentum extiterit, quod nostra precordia susceperunt, cum diem prefatam ad visionem eandem audivimus constitutam. (3) Verum quia nos, qui licet insufficientibus meritis celestis dispositione consilii oves dominicas gubernandas suscepimus et pascendas, ut inter te ac regem prefatum^c dilectio sincera permaneat ac tu sicut et ipse sis tuusque populus ac populus regis ipsius velut regum Iuda et Israel populi unum existant ac ex tua et ipsius mutua visione premisorum bonorum amabilis ubertas proveniat, desiderio ducimur vehementi et libenter ministerium apostolice sollicitudinis impendimus studiosum, celsitudinem regiam paterno rogamus affectu et hortamur attentius in domino Ihesu Christo, quatinus ad habendam mutuam visionem huiusmodi cum rege predicto in loco inter te et regem predictum alias ordinato vel alio, de quo inter te et ipsum concordari contigerit, certum diem cum eodem rege, cui super hoc sub simili forma scribimus per alias nostras litteras speciales², constituere non omittas. Ita quod ea, que per tuum et ipsius regis concordem affectum sperabantur effectum sortiri prosperum et felicem, ad desideratum exitum deducantur tuque propter hoc fidelium populis magis gratus in terris appareas et constituaris gloriosus amplius in

a) 'in regem Romanorum' auf Rasur Or.

b) auf Rasur Or.

c) 'ac — prefatum' auf Rasur Or.

1) Aug. 22.

2) Bisher nicht bekannt geworden.